

ACTA ERUDITORUM

publicata Lipsiæ

Calendis Aprilis, Anno MDC LXXXII.

SYNTAGMA INSCRIPTIONUM

Romæ veteris: quas collegit & Commentariis illustravit THOMAS REINESIUS. Opus posthumum.

Lipsiæ, sumtibus Joh. Fritschii hæredum & Joh. Frid. Gleditsch:
A. 1682. fol.

Postquam JANUS GRUTERUS, sub initium seculi hujus, vastum istud & æternum INSCRIPTIONUM Opus, Scaligeri & Velferi auspiciis, aliorum autem eruditione clarorum Virorum ope & consilio, in certas Classes dispositum evulgasset: multa reperia sunt Romæ & alibi Monumenta, isti inferenda, si ante oculis hominum exposita & observata fuissent, quam iste suum Opus vere incomparabile publicæ exposuisset luci. Hæc igitur novissime reperia, & varie hinc illinc dispersa, summo studio, partim ex editis ab isto tempore Doctorum Virorum: Aringhi, Aventini, Barthii, Bosii, Boldonii, Capacii, Chiffletii, Chorieri, Freheri, Grasseri, Gutherii, Lazii, Liceti, Lipsii, Manutii, Meursii, Palermi, Panvini, Pighii, Pignorii, Resendii, Salmasii, Savaronis, Schotti, Seldeni, Servii, Sirmondi, Sorbierii, Tomasini, Tristani, Valesii, Ursati, Vosii, Velferi aliorumque literis clarorum hominum Scriptis; partim Amicorum eruditorum: Bartholini, Bullialdi, Grævii, Gronovii, Heinsii, Holstenii, Lambecii, Langermanni, Monavii, Naudæi, Opitii, Parei, Piccarti, Puteani, Rhodii, Ruperti, Scriverii, Sponii, Volcammeri, Vorstii epistolis, horum ope & suggestione adjunctis collegit, & eadem, quam Gruterus tenuerat, ratione digessit THOMAS REINESIUS. Commentationibus etiam necessariis adjectis, & noviter prolatas Inscriptiones, & complures, quas Gruterus alijs antea exhibue-

M

rant;



rant, illustravit, ex obscuris perspicuas, ex mutilis integras, ex depravatis correctas exhibens: adeo ut multa ex hoc Syntagmate lux Gruteriano Operi & pluribus vetustis Monumentis aliis inferri intelligendum sit.

Instituerat quidem primus Autor Inscriptiones quasdam a Grutero publicatas, non minus indoctorum in marmorariorum culpa, quam incuriosorum descriptorum negligentia, temporis etiam vitio corruptas & depravatas emendare, quibus libro Commentario illustrandis inter magistratus, quem Altenburgi gerebat, munia, & curas officii medici, quam artem per annos paulo minus quinquaginta publicis stipendiis fecerat, insudabat: sed dum isti intendit Operi naturam ipsi consilium, illas, quæ Grutero visæ non essent & præteritæ, colligere, earumque velut novarum accessione Opus ingens & admirandum locupletare & supplere; has autem noviter repertas illustrando, his simul quas Gruterus attulerat, lucem inferre. In quo proposito ita profecit, ut earum partim e manibus Amicorum acceptarum, partim e libris diversorum argumentorum & idiomatum excerptarum insignem copiam acquisiverit, e qua Gruteriani in Operis modum disposita *Syntagma* isthoc constipavit. In quo ordinem secutus est, qui Scaligero & Grutero, dum is vastum suum Opus concinnabat, placuerat: nam *viginti Classibus* omnes, quas vel in libris reperit, vel ab Amicis transmissas accepit, Inscriptiones complexus est. Ac *prima* quidem *Dius* dedicatorum, templorum aliorumve locorum sacrorum & sacrificiorum; *secunda* Operum & locorum publicorum; *tertia* Cæsarum, Imperatorum, Augustarum & Regum; *quarta* Annalium, Actorum & Historiarum; *quinta* Sacerdotum, Flaminum, Pontificum, Augurum, Ministrorum sacrorum, Ludionum. & his adfinium; *Sexta* Magistratuum majorum minorumque & quorumvis honoratorum; *Septima* Decretorum publicorum, Senatusconsultorum, Legum, Fœderum, Statutorum, Contractuumque inter privatos; *Octava* Militarium *Nona* Libertorum & Officiorum Domus Augustæ; *Decima* Ordinum, Collegiorum, Corporum & quarumvis Sodalitatum; *Undecima* Officiorum minorum, studiorum, artium & negotiationum; *Duodecima* Affectus Parentum erga Liberos; *Decima tertia* Affectus Liberosum erga Parentes; *Decima quarta* Affectus Conjugum; *Decima quinta* Affectus Fratrum Sororum-

rumque; *Decima sexta* Gentilium, cognatorum, propinquorum, hæredum, familiarium, amicorum, sodalium, benemeritorum, aliorumque promiscua; *Decima septima* Singulariorum ab incertis; *Decima octava* Affectus Dominorum erga Servos Libertosque, & horum adversus illos; *Decima nona* Affectus Libertorum & servorum inter se & suos; *Vigesima* Christianorum veteris Ecclesiæ Monumenta exhibet: quibus *Appendix* subjecta est, eas Inscriptiones illustratas Commentario sistens, quæ digestis jam Clasibus cum supervenissent, suo loco reponi non potuere.

Absoluto & elaborato hunc in modum Syntagmate hoc, Autor congesit & elucubravit summo studio & industria incredibili EPONYMOLOGICON, quod sive accessorium Operis hujus, & late diffusus absolutissimus Index (in istius formam, qui in Gruteriano Opere tertii & vigesimi locum implet) habeatur; sive novi & separati Operis appellationem sustineat, perfectam sane expletamque omnibus numeris & partibus *Cognominum Romanorum* notitiam suppeditabit. Quamvis autem præcipuus scopus Operis hujus Romana sint, non ignobilem tamen ejus partem Græcorum etiam aliarumque gentium, sed cum primis Germanorum, faciunt Nomina propria: quippe quibus detritis, inquinatis, disjectis & deflexis genuinam formam, pristinamque dignitatem & celebritatem reddidit, & Germanis Germanos restituit. Quo studio non magis horum gloriæ quam utilitati publicæ prospexit, & in primis Historiæ lucem prætulit. Nam cum Græci Latini que Scriptores multa de Germanis & exteris nationibus aliis, quas communi Barbararum appellatione complectebantur, literis tradiderint; ignoratum tamen fuit hæcenus, quinam præclare istas res gesserint, aut si non ignoratum id plane, confuse tamen & turbate animo conceptum est, dum vel discernendi conjuncti, vel discreti fuerunt conjungendi: pluribus seculis distantes ad eandem ætatem, ad diversas relati qui eodem tempore vixerant: unus inepta distinctione multiplicatus, plures contra, velut a coquo jura in unum confusi & permixti. Quod quantas in historia turbas exciter, soli ignorant, qui ingentia solidæ historiæ cognitionis commoda non intelligunt. Hæc vero omnia EPONYMOLOGICO isthoc ad liquidum ab Autore producta sunt: in quo præterea infiniti Autorum loci emendati, Constitutionum in Theodosiano & Justiniano Codicibus in- & subscriptiones

recte constitutæ, abrupta & dispalata Legum fragmenta corporibus suis juncta: & quicquid veterum elegantiarum inconsulta & superstitiosa librariorum correctio Scriptoribus eripuerat, maximam partem redditum est & restitutum. Qui liber sane eximius, multis vigiliis ab Autore elucubratus, publica luce omnino dignus est, eique sistetur, ubi fortunam *Syntagmatis* hujus, quod præmitti par erat, experius fuerit secundam, qui excudi istud curavit. Nam utriusque Operi simul sumtus impendere, librariorum per Germaniam afflictæ res haud patiebantur. Igitur ipsas Inscriptiones earumque Syntagma, quod GRUTERIANI OPERIS SUPPLEMENTUM ET COMMENTARIUS dici potest, præmittere voluit Bibliopola, qui in possessionem Manuscripti utriusque Operis post Autoris obitum (qui placidus Septuagenario d. XVI. Kal. Mart. Anno M.DCLXVII. obtigit) pervenit: constitutum habens, ubi avidos Antiquitatis eruditæ amatores intellexerit, EPONYMOLOGICUM eidem prælo, quod *Syntagma* hoc expresit, submittere & publici juris facere. Ut Monumentorum veterum curiosus indagator, postquam e *Syntagmate* Victoris gentium Populi sacra & ceremonias addidit; publica Imperatorum, Consulium, Ædilium, privatorum quoque hominum Opera perlustravit; Magistratum in Urbe, provinciis, municipiis, coloniis, decoram seriem; accuratam Ordinum, Collegiorum, Sodalitatum, Corporum enarrationem; Militiæ etiam gradus; privatamque pietatem & domesticos affectus cognovit; in EPONYMOLOGICO, velut in atrium aliquod nitidissimum delatus, circumstantes majores suos, vel gentis suæ proceres, quorum Saxa antea perlustraverat, ipsa vetustate venerandos intueatur, nominibus, tempore, scriptis gestisque adeo succincte collocatos, ut nunc demum ab hoc ordine, in quem sollicita Reinesii eos coëgit industria, immortalitatem tot Nominibus, quæ e monumentis vetustis produxit, promittere liceat. Frustra sane speraverant mortales, saxorum perennitate prorogatum iri suum ad seram posteritatem nomen, ac memoriam sui marmorum beneficio in longum extendi posse: quibus tamen & ipsis mortem infert ævi longinqua vetustas, quod testantur tot truncæ statuæ, fatiscentes tabularum crustæ, semesa columnarum frustra, cipporum fragmina, & quæ olim vias superbe prætexebant monumenta late agris disjecta & obruta, aratris effossa sæpe, ruderibus involuta, at que suo revulsa loco situ

musco-

muscoque obsita, obliterata, oblimata, cuneis diffissa, trita rotarum orbitis, fundamentis interdum ædificiorum adhibita, suggrundiorum stitilicidiis, fluminum marginibus, viarum stratis, urbium purgamentis destinata, alieno sepulchro illata, translata toties & jactata: Nulli pedes in frontem, nulli retro, nusquam ambitus & maceria: nihil sacri & religiosi. Cassa igitur nomina, & ignoti in ipsa interdum patria tituli, peregrinaque inscriptio. Felici tamen industria REINESII suis plurima Manibus reddita sunt, & ex ipsis Fragmentis memoria eorum, quibus posita primum fuerant, adserta est: ut chartæ hæc saxeam istam perpetuitatem, materiæ vitio jam senescentem, novæ perennitate munire censendæ sint;

Ecce vices rerum, tandem quoque saxa fatiscunt,
Et manet æternum quod levis aura movet.

EPIPHANII OPERA GRÆCO-LATINA
NA cum versione & Animadversionibus DION. PETAVII. Editio nova, Appendicibus quibusdam auctior.

Coloniæ 1682. in fol. 2. Tomis.

Sumptibus Jerem. Schrey, & Henr. Job. Meyeri.

Cum jam pridem in bibliopolarum tabernis, Gallorum æque, apud quos prodierant, quam aliis, disparuerint nec venalia amplius proferent Epiphanii Græco-Latina, a doctissimo Societatis Jesu Theologo *Dionysio Petavio*, anno hujus seculi secundo & vigesimo adornata & cum interpretatione nova ac Animadversionibus eruditis edita *Parisiis* Opera; de bonis literis bene se merituros existimarunt bibliopolæ, qui *Lipsiæ* recudi eam curaverunt: ita quidem ut nova hæc editio veterem plane referat, & plagulæ hujus novæ impressionis totidem plagulis prioris editionis respondeant; typorum verò Græcorum major adhibitus nitor, quibusdam etiam accessionibus potior habenda sit nova. Præmittitur enim *Vita Petavii*, quam eleganti Oratione deprædicavit *Henr. Valesius*, exposuit etiam in Bibliotheca Soc. Jesu a *Ribadeneira* cœpta, a *Ph. Alegambe* continuata, a se vero ad Annum usque *LXXVI* producta *Nath. Sorvellus*. *Car-men* item præfixum habet, quo mortem ejus prosecutus est *Illustr.*

M 3

Mona

Monasteriensis & Paderbornensis Episcopus Ferdinandus Furstenbergius. Sub unum quoque conspectum omnia Petavii *Opera* juxta annorum seriem, quibus ab ipso scripta & emissa sunt in publicum, digesta sistuntur. Animadversionibus vero binæ subjiciuntur *Appendices*, pro istis vindicandis ab Autore doctissimo adversus *Maturinum Simonium* Anno 1624, & *Claudium Salmasium* Anno 1630 scriptæ, postque editas Animadversiones publici juris factæ. Ac poterat quidem pluribus Accessionibus editio hæc nova augeri, si adjecta fuissent scripta ista, ad explicationem & vindicationem nonnullorum Epiphaniæ locorum facientia, quæ sub *Antonii Kerkoetii* nomine adversus Salmasium, qui *Francisci Franci* nomen sibi sumserat, in vulgus sparserat Petavius, amarulenta non minus quam erudita: sed quando istis nomen suum præscribere noluit Autor, ea Animadversionibus his annectere veritus est, qui editionis Epiphaniæ curam Lipsiæ gessit.

HISTORIA CRITICA VET. TESTA-
MENTI,

sive

Historia Textus Hebraici a Mose ad nostra
usque tempora,

Autore R. P. RICHARDO SIMONE,

Presbytero Congregat. Oratoriæ.

E Gallico in Latinum versa.

a

NATALI ALBERTO de VERSE

S. Theolog. & Medic. Doct.

Amstelodami, Juxta Exemplar impressum Parisiis

1681. 4to.

Est hoc novum Historiæ Criticæ opus, Gallico idiomate ab Autore suo primum editum Parisiis 1678, in genere curiosum admodum & summæ eruditionis Scriptum, singularia plurima in Textum Hebraicæ Vet. Testam. & præcipuas Versiones tum a Judæis, tum a Christianis editas complectens; quod Latine donatum, cum aliqua
Præ-

Præmonitione ad Lectorem, publici juris denuo facere nullus dubitavit Interpres doctissimus, innumerarum illius observationum singularissimarum rationem potius habens, quam aliarum quarundam ex illo contra fontium auctoritatem eruendarum consequentiarum, quas nec Autor ipse admittat, & adversus quas nemo non Eruditorum se facile præmunire possit. Nos, quod nostri instituti est, hic agemus, hoc est, *scopum & summam* illius Historiæ Criticæ historice edisseremus, ut quid inde sibi quis polliceri possit, intelligat, judicium erudito lectori, & accuratum ejus examen aliis, quorum hoc est studium, committentes; ad quod etiam Vir Clarissimus *Ezechiel Spanhemius* in Literis ad Amicum die 10. Decembr. 1678 Gallice scripsit, & Amstelodami anno 1679 a Daniele Elzevirio, quanquam suppresso Autoris nomine, editis jam viam stravisse videtur.

De *SCOPO ET CONSILIO* totius operis tum recte judicabis, si quid Autorem ad scribendum impulerit, quæ admniculis in usum advocatis, & cui Hypothesi potissimum innixus novam illam Criticam concinnarit, ex ejus Præfatione & primo Historiæ hujus Capite, nobis præcuntibus, observaveris. Scribit nempe Autor in Præfatione, se dum Critica in Scripturam aliorum opera legeret, & in proprium suum usum vitia eorum annotaret, comperisse, neminem hætenus penitus Criticam Scripturæ novisse aut investigasse, neminem non juxta sua præjudicia ea de re disseruisse. Judæos verbi gratia non alios Autores, quam suos, consuluisse, ac miratos esse, quæ nequaquam intelligebant: inter Christianos autem plerosque Patres adeo in gratiam veterum Ecclesiæ Versionum præjudicio laborasse, ut plane Textum Hebraicum negligerent: defuisse quoque illis multa ad perfectam Scripturæ Crisin instituentiam: modernos quod spectat, seu Catholicos, seu Protestantes, neminem non præjudicio laborasse, ambos *Buxtorfios* nil ferme aliud in plerisque suis operibus, nisi immodicum erga Rabbinos studium, neglectis aliis Autoribus prodidisse: contra *Morinum* adversus illos, etiam antequam legisset, odio affectum fuisse, dumque meliores Ecclesiæ versiones propugnare studet, undecunque argumenta collegisse, quibus Bibliorum originalia evertat: plus certe judicii in *Ludovici Capelli* Critica elucere, sed & illum, cum varias tantum lectiones conquirere satageret, nimis eas multiplicasse: Se vero in hac Historia multa proferre, quibus plurimæ lectionum

varie.

varietates explicari possent absque eo, quod illis in locis hallucinato
 fuisse Exscriptores dicamus: posuisse quoque *Capellum* & retulisse in
 numerum Variarum Lectionum manifestissimos Exscriptorum erro-
 res, qui quidem juxta probatioris Codices emendari potuissent: po-
 stremo non satis auctoritatis Masoræ tribuisse: etsi enim Autores ejus
 infallibiles minime fuerint, non omnino tamen spernendam aut
 rejiciendam hoc nomine, quod ejus autores Judæi sint, quos, cum
 de lectionis usu agitur, consulendos esse ipsa ratio suadeat: non im-
 pedire tamen ista aut similia apud *Capellum* observata vitia, quomi-
 nus ejus Critica cæteris omnibus anteponatur. Et hujus adeo lau-
 dati scriptoris exemplo se motum fatetur Autor, ut Historiam hanc
 Criticam Biblici textus & præcipuarum Versionum, tum a Judæis,
 tum Christianis editarum, componeret. Cum vero *Capellus* se mul-
 tas alias Varias Lektionen ob MSS. Codicum penuriam adnotare non
 potuisse conqueratur, huic defectui se obviam ivisse scribit Noster, con-
 quisitis, & undiquaque sibi multis egregiis Codicibus, quos diligen-
 ter quidem inspexerit, comparatis: illorum Codicum ope Regulas
 dedisse, quibus errorum & vitiorum, quæ in Textum Exscriptorum
 negligentia invecata sunt, originem invenias, ut hoc pacto germana
 Biblici textus lectio commodius restitueretur: ex illis quoque bonos
 & legitimos Codices Hebraicos a malis & corruptis discernere ut
 possis, ejus rei gratia plurimorum examen instituisse, in quibus quid
 desideret, quid probet, annotarit. Deinde quia Judæ *Masoretæ* mul-
 tas, ceu scribit, in textum Hebraicum immutationes intulere, horum
 quoque Criticam multis prætermisissis Autoribus, qui de illa ex priva-
 tis præjudiciis, vel ex aliorum sensu judicarunt, apud Masoretas ipsos
 legisse, imo cum attentione perlegisse, & æquum se iis ubique judi-
 cem, quantum licuit, præstitisse profiteretur; mediam sic quasi viam
 amplectens tum inter illos, qui Masoram contemnunt, aut cum *Isa-*
aco Vossio prorsus improbant & rejiciunt, quod non permultas ex illa
 Regulas ad LXX. Interpretum & veterum aliorum versionis defensio-
 nem hauriri posse animadverterunt; tum inter hos, qui eam infallibi-
 lem censent, quia, ut ille scribit, non satis accurate versiones, quæ
 Masoram antecesserunt, expendere. Masoram enim seu Traditionem
 nunquam adeo modum legendi textum fixisse & sanxisse, quin quod
 pro temporum & locorum circumstantiis lectio variaverit, ostendi
 possit.

possit. Ut ergo modum illum, qui ad inveniendam veritatem requiritur, præ cæteris omnibus, qui circa hoc negotium occupati fuerunt, servaret, id quantum fieri potuit, præstare se conatum fuisse dicit, suam hinc Hebræo originali, suam illinc Versionibus veteribus auctoritatem illibatam conservando; nec in gratiam Græcæ Linguae, nec Latinæ, nec Hebraicæ, nec alterius præjudicio se affectum sincere testando, tantummodo accurate juxta ordinarias Criticæ Regulas & Textum ipsum, & ejus Versiones expendendo, & variis annotatis Lectionibus ostendendo, quo pacto hodiernorum Codicum menda & vitia castigari possint. De cætero nihil ferme sibi defuisse scribit ad hoc opus omni ex parte absolvendum: nam & penes se diu fuisse innumeros Libros ab Oriente allatos, & jam in Bibliotheca PP. Oratorii Domini JESU extantes: otium præterea abunde adfuisse, imo Amicorum suorum ope plurimos se Eruditos in dubiis hinc inde subortis consuluisse.

Hypothesis in hoc Opere potissimum regnans est de Bibliorum Hebræorum Auctoribus, quos certi generis Scribas fuisse statuit; quæ jam inde a Mosis tempore apud Hebræos extiterint, & quam diu illorum Respublica stetit, singula hujus Reipublicæ suæ Acta summa fide collegerint, inque publicis & ad id destinatis monumentis asservarint. Hos cum *Josepho* & plerisque Patribus Prophetas nominat, quia sc. Dei spiritu afflati fuere, & scripturam omnem Prophetiæ nomine donat *Petrus Apostolus*. Eosdem etiam Scribas, ab ipsa Scriptura, vel publicos Exscriptores vult appellari, ut hoc pacto eos discriminet a reliquis aliis Scriptoribus, qui pro affectu & præjudicio suorum temporum Annales scribere solent. Tales Scribas fuisse dicit, *Samuelem*, *Nathanem*, *Gadem*, *Abiam* & aliquot alios, qui suorum temporum Annales scripserant, e quibus non minima Librorum Biblicorum pars, utpote Judicum, Regum, Chronicorum & Paralipomenon concinnata sit. Juxta hanc suam hypothesin solvi ait multa quæ in Pentateucho existunt, & videntur simul supponere, Mosen ipsorum Autorem non fuisse. Nimirum quicquid in Libris illis Historiam spectat, Scribis adserit de *Mose* in tertia persona loquentibus, & similia non pauca habentibus, quorum Moses Autor esse nequeat: vicissim quicquid ad leges & jura pertinet, ipsi *Mosi* vindicat, & hac ratione totum Pentateuchum *Mosis* esse, jure merito affirmari

N

posse

posse putat: quoniam illius Scriptores *Mosis* tempore vixerint, & non nisi jussu *Mosis* illum conscripserint. Ex eadem hypothefi solidas rationes se reddere posse dicit, cur tot in Scripturis additiones & immutationes, quas alioqui nullo pacto explicaveris, hodie deprehendamus: si nempe observetur, hos Prophetas seu publicos Scribas pro suo officio non tantum suorum Acta temporum collegisse, sed & aliquando Actis a prædecessoribus suis collectis, iisque vel addendo, vel detrahendo, & immutando, prout expedire judicabant Ecclesiæ tum temporis, novam formam induxisse, illibata interim S. literarum, autoritate; quandoquidem illarum mutationum Autores Viri Prophetæ ac coelitus afflati essent, ut proinde, quæ ipsi immutarent, parem cum reliquis non possent non habere autoritatem. Multum pariter hac sua hypothefi juvari scribit explicationem innumerarum Quæstionum circa Chronologiam & Genealogias. Si semel enim recipias, hosce Libros prolixorum Instrumentorum compendia tantum esse, & populo tradita solum fuisse, quæ illi erudiendo idonea magis judicata sint, per se patere dicit, relatas ibi Genealogias immediatas non esse, nec certam & infallibilem juxta eosdem libros Chronologiam componi posse, quandoquidem res gestæ non semper, quo tempore evenere, referantur, sed & sæpe plura acta simul conjuncta fuerint, dum in Epitomen redigerentur, & Lector simul ad eadem illa Acta, prout in archivis prolixè continebantur, remitteretur. Isto quoque pacto *Spinose* argumentis ex hisce Scripturæ immutationibus & enantiophaniis ad ejus autoritatem infringendam ductis, quasi nil istæ divini haberent, respondet, ac illorum simul audaciam retundere satagit, qui Sacrorum Librorum Autores in iis tantum, quæ ad fidem pertinent, a Deo inspiratos fuisse contendunt, cætera non magis pro divinis habenda esse, quam cuncta illa, quæ Viri pii ac religiosi scribere solent. Cum enim periculosa hæc valde sententia videatur, & Novo Testamento in Scriptura Veteris nil non Propheticum & Divinum agnoscenti diametraliter sit opposita, talem se scribit hypothefin constituisse, qua viris Divinis & Prophetis adscribantur omnia in Sacris Literis comprehensa, iis saltem mutationibus exceptis, quæ lapsu temporis & Exscriptorum incuria & oscitantia contigere. Nam præter istas immutationes, ab iis qui cum autoritate Bibliorum, Breviaria scripserunt factas, plures adhuc alias agnoscit Autor, quas non
ipsis

ipsis Sacrorum Librorum Autoribus, sed potius communi veterum omnium Librorum fato, aut si vis, infortunio imputandas esse dicere, confirmans hanc suam sententiam ex modo, quo olim Libri in parvis membranis scribi solebant, quæ aliæ super alias circa lignum ali-quod convolvebantur, nec inter se consuebantur. Sic enim accidisse scribit, ut non satis accurate voluminum illorum ordine servato, rerum ipsarum dispositio & ordo pluribus in locis immutatus fuerit. Et magnas illas, ut ipsi videntur, mutationes, quas Bibliorum codicibus contigisse ostendit, ex quo prima originalia periere, Protestantium, ipsorumque Socinianorum, qui hodiernos illos Codices Hebræos consulant, sententiam funditus convellere putat, cum tantum absit, ut ad Controversias dirimendas compendiosior & tutior methodus Scriptura existimari debeat, ut e contra in hac sua Historia ostenderit, si quidem juris norma a norma facti separetur i. e. nisi cum Scriptura Traditionem jungas, nihil fere certi in Religione futurum esse; nec divino Verbo fieri injuriam, cum illi Ecclesiæ Traditio conjungatur: Eundem enim, qui nos ad S. Literas amandat, ad Ecclesiam quoque suam, cui sacrum hoc depositum concredidit, nos amandare.

Hæc de Scopo & Consilio Auctoris dicta sunt; sequitur nunc *summa totius operis* in tres Libros divisi, quorum *PRIMUS* unum & triginta Capita complectens sat multa habet de Sacrorum Librorum Autoribus; de Prophetarum apud Hebræos munere ac potestate libris sacris addendi, detrahendi; de origine mutationum aliquot in Textu Biblico, eorundemve actorum in aliis & aliis Scripturæ Libris cum varietatibus aliquot repetitorum causis; de mutationibus, quæ in Libros sacros irrepserunt, præsertim post Captivitatem Babylonicam ex Rabinorum & Patrum sententia; de modo quo Bibliorum breviarium factum. His ita Cap. I, II, III, & IV, pertractatis, mox cap. V, & VI, probationes & argumenta subjungit Autor additionum, & aliarum immutationum, quæ Scripturis & in specie Pentateucho contigere. Variis item exemplis ostendit, Mosen omnium plane quæ in Libris ab ejus nomine dictis extant, autorem esse non posse, additis responsionibus ad Judæorum hæc contradicentium objectiones cum novis in eorum opinionem argumentis. Cap. VII. modum exponit, quo libri legis scripti fuerint: Hinc Libros Patriarchis ante *Mosera*

adscriptos recenset, Sabbatarum etiam, sive Veterum Chaldaeorum Historiam tradit. Cap. IIX. de aliis Scripturae Libris differit, quorum collectionem ad magnam sub *Esdra* Synagogam referunt: Hujus Synagogae examten, & cujusque libri Scripturae in specie suscipit. Cap. IX. Librorum sacrae Scripturae generalem Divisionem tradit, Judaeos & Christianos Autores inter se hac de re conciliat: quo sensu Judaei *Danielem* Prophetam esse negent, explicat, & hac in parte a Christianis non dissentire docet. Cap. X. XI. XII. XIII. contra *R. Joseph Albo* pro lege Moysis nunquam corrupta pugnantem disputans, ex Pentateucho Samaritano probari posse negat, etiamnum hodie superesse priscum Librorum Moysis apographum: Inde Textum Hebraeo-Samaritanum in particulari sub examen vocat, nec Judaico praefendum monet, diversisque variarum Lectionum exemplis cum observationibus in eundem additis, de Characteribus Samaritanis eorumque origine, & convenientia cum Phoeniciis literis, ex aliquot Graecorum Patrum testimoniis rite explicatis, de Codicibus Samaritanis, deque litera *Thav* erudite differit. Cap. XIV. XV. de Lingua Hebraea quaerit, an prima linguarum? & quomodo primum inventa litera? Post variarum hac de re sententiarum conciliationem accuratius, quomodo inventa sint linguae, exponit, facta hic erudita de Origine Linguarum digressione. Cap. XVI. & XVII. quis status Hebraei textus a reditus ex Captivitate Babylonica tempore, quis aetate Jesu Christi, & initio Christianae religionis, quis tempore *Philonis* & *Josephi* fuerit, exponit: ibi de Secta *Sadducaorum* universas Scripturas admittentium, & Codice Hebraeo a LXX. Interpretibus usurpato; hic de *Josepho* minus accurato Scripturae tractatore, ac subsecutorum Judaeorum majore diligentia ex occasione Religionis Christianae nata Lectorem informans. Cap. XVIII. & XIX. contra *Morinum* & *Vossium* ealamum stringit, ac Judaeos sacros libros non depravasse ostendit: addita Patrum, maxime *Origenis* & *Hieronymi*, de Textu Hebraico & LXX. virali versione, sententiae explicatione, morem scribendi hisce duobus Scriptoribus solennem pluribus exponit, cum observationibus aliis non passim obviis. Cap. XX. XXI. XXII. XXIII. statum Hebraei textus in primis Christianismi seculis uberius pandit: varias Scripturae lectiones in Thalmude occurrentes, cum diversitate codicum, quibus Synagogae utuntur, & quibus privati,

vati, notat: Regulas ad discernendum probatos Textus Hebraici Manuscriptos Codices a pravis tradit: aliquot Manuscriptorum examen singulare instituit: nec non peculiare observationes in omnes Manuscriptos Biblici Textus Codices subjicit, ac tandem originem variantium lectionum a varia scribendi codices ratione ortarum prodit. Cap. XXIV. & XXV. de *Masora* quid statuendum sit, variis Judaeorum & Christianorum hac de re opinionibus præmissis, edocet: accuratorem Masoræ expositionem instituit: utiles Regulas, quas completur, eruit: unde & quomodo Veteres Scripturæ Interpretes excusari ac defendi possint, ostendit: partium etiam, quibus constat Masora, explicationem cum Criticis in hanc rem observationibus subjicit. Cap. XXVII, XXVIII. & XXIX de punctorum Vocalium & Accentuum hodiernorum autoritate, origine, de versuum item hodierni textus Hebraici distinctione & aliquot aliis ejusdem Textus distinctionibus quid sentiendum, multis in rem istam communicatis observationibus exponit, & *Caraitas*, peculiarem Gentis Hebrææ Sectam, non minus ac reliquos Judæos, viginti quatuor Scripturæ libros cum Puncto-vocalibus & accentibus admittere docet. Denique primum hunc librum c. XXX & XXXI. Grammaticorum Hebræorum Historia finit, in qua Grammaticæ Hebrææ originem & progressum narrat, & hinc textus ac linguæ Hebræicæ incertitudinem demonstrare satagit.

Criticæ hujus LIBER SECUNDUS præcipuarum Scripturæ Versionum a Judæis & Christianis editarum Historiam complectitur. Illas omnes examinat, & quid in quaque vituperet, quid probet, studiose aperit Simonius. Post generalem doctrinam de Bibliorum versionibus Cap. I. propositam, præ cæteris omnibus Græcam versionem LXX Interpretum & ejus autoritatem per aliquot Capita expendit. Nam ubi Cap. II. Historiam *Aristeæ*, & aliquot alios ea de re scriptos Libros supposititios sub examen revocavit, & solam Mosis legem primum Græce redditam esse docuit, appellationis item rationem, cur LXX viralis dicta fuerit, enucleavit; Cap. IV, non modo varias hujus Versionis Editiones recenset, sed & explicationem Tetraplorum, Hexaplorum, & Octaplorum *Origenis* cum Criticis animadversionibus subjicit, ac versionis ipsius cum textu Hebræo collationem, variarumque illius editionum ad se invicem

comparationem instituit. His ita præmissis, varias Variorum sententias, maxime *Isaaci Vossii* opinionem discutere, & contra ipsum Cap. IV, nec textum Hebræum a Judæis depravatum, nec ejus Chronologia Chronologiam LXX Interpretum meliorem esse ostendere instituit. Inde suo de hac versione judicio exposito, Cap. V, VI, VII, examen singulare locorum textus Hebraici aliter, quam nunc redditur, ab ipsis redditi, suscipit, ac tandem Cap. IIX, adversus alios non ea linguæ Hebrææ notitia instructos, ut judicium de hisce Interpretibus recte ferrent, certis adhibitis Regulis, quoad loca plurima defendit. Hic obiter notandum, *Isaacum Vossium* sententiæ suæ tenacissimum ad Objectiones *P. Simonii* statim Responsonem adornasse, quam libro de Sibyllinis Oraculis Oxoniæ 1679 edito subjecit. Et cum totus controversiæ status versetur circa LXX Interpretes, primo *Argumenta*, quibus ad elevandum horum interpretum versionem in hoc libri secundi principio utitur Simonius, breviter perpendit: Deinde *Loca* persequitur, quæ vel male, vel saltem non satis commode a LXX versa fuisse interpretibus existimat: Denique *Rationes* discutit quæ videntur movisse Adversarium, ut novam instituendam putarit versionem exacte cum Hebræo congruentem Codice. De cæterò laudat moderationem Autoris, quod Versionem hanc magni faciat, nec cum iis sentiat, qui illam ex officina Sathanæ produsse affirmant, ac si ea, quam & Christus & Apostoli nobis reliquerunt & commendarunt, Scriptura autorem possit habere Diabolum. Sed e diverticulo in viam, & ad ipsum Simonium est redeundum, qui jam porro Cap. IX, & X, de aliis Scripturæ Græcis Versionibus, quarum tantummodo supersunt fragmenta, præcipue de ea, qua Samaritani sunt usi, differit, & an præter indicatas adhuc aliæ extiterint Græcæ Versiones? an nomine LXX. Interpretum plures & variæ? an *Origenes*, *Pamphilus*, *Eusebius*, *Lucianus*, *Hesychius*, *Apollinaris* novas Scripturæ interpretationes composuerint? docte disquirat, ac novas in Hexapla *Origenis* observationes addit. A cap. XI ad XIV de priscis Scripturæ Versionibus, queis olim Ecclesia Occidentalis utebatur, imprimis de Vulgata hodierna ejusque Autore operose agit; mox aliquot istius Versionis Capitibus juxta Criticæ leges examinatis, generales animadversiones suggerit, quibus Hieronymiana vertendi methodus penitus innotescat: sed & vulgatam cum LXX virali confert

his in libris, de quibus constat illam *Hieronimi* esse, variis annexis Regulis pro defensione Vulgatæ exstructis, idque pluribus in locis: imo quo sensu hæc versio a Synodo Tridentina definita sit *autentica* exponit, nec illam esse verum ac genuinum Scripturæ fontem ingenue ostendit, multis in hanc rem adductis observationibus criticis. Cap. XV, & XVI, versionum a *Syris, Arabibus, Coptis, Æthiopicis, Armenis* editarum Historiam absolvit. Inde ad Judæorum Versiones seu Paraphrases pedem promovens Cap. XVII quærit, utrum *Hellenistæ* in suis synagogis solam LXX viralem Versionem legerint? & quinam Hellenistæ isti? & quomodo ad proprium usum Versionem post LXX adscriptam concinnarint? de Versione item Samaritana & ejus Versionis latina interpretatione dispicit. Hinc ubi Cap. XIX Paraphrasium Chaldaicarum incertitudinem originis cum modo, quo confectæ fuerint, exposuit, de lingua etiam Chaldaica, deque harum Paraphrasium styli diversitate lectu digna protulit, quin & punctuationis Chaldaicæ reformatione Buxtorffiano rejecta, litem de istarum utilitate vel damno Paraphrasium magna cum contentione agitatam diremit. Cap. XIX ad alias Bibliorum Versiones sive Paraphrases a Judæis profectas in variis linguis, *Arabica, Persica, Hispanica & Græca* vulgari accedit, & Criticas observationes in easdem illas linguas, maxime vero in *Græcam* hodie vulgarem subjungit. In sex ultimis Capitibus a XX ad XXVII de recentioribus Christianorum Versionibus, primo latinis, deinde vulgaris linguæ, tum Catholicis tum Protestantibus, *Anglorum, Belgarum*, ac præsertim de *Lutheri* Versione Germanica, deque *Gallicis* Protestantium Scripturæ Versionibus Critico more agit.

Sed quia plena periculi res foret, morbos aperire, nec remedia adhibere, fuscè sic recensitis plerarumque Versionum bonis malisve qualitatibus, *LIBRI TERTII* initio, Cap. sc. I, & II, methodum monstrat, qua purior & exactior, quam unquam antea, Versio concinnari valeat. Cum autem hic permultæ quidem magnæque occurrant difficultates, has nihilominus Cap III, & IV, juxta præscriptas a se Regulas superari posse ostendit. Hujus novæ sæ Versionis occasione, præcipuorum Auctorum interpretandi methodos examinat; primo Judæorum Cap. V, maxime *R. Mosi Maimonidis* & aliorum Rabinorum Cap. VI, & VII, (ubi multa simul jucunda

træ

tradit de Rabbitorum lectione in sua ipsorum Lingua) deinde priscorum Patrum, *Augustini* Cap. II, *Origenis*, *Hieronimi* Cap IX, multorum aliorum Cap. X. denique recentioris ævi Doctorum, qui in Scripturam notas aut commentarios scripsere, sive Catholicorum Cap. XI, & XII, sive Protestantium Cap. XIII, XIV, XV, sive Sociniorum Cap. XVI, ut sic uno intuitu, quomodo & quam varie tum Judaica, tum Christiana Ecclesia Scripturam interpretata fuerit, videre queas. Et quo is labor majorem adhuc utilitatem adferat, multis regulis & observationibus ad recte Scripturas interpretandum hinc inde propositis, Cap. XVII, utilium aliquot Librorum ad intelligentiam Scripturæ facientium Crisin suscipit: quin & judicium suum de aliquot aliis Scriptoribus, qui opera Critica in Scripturam composuere, sive Catholicis, ut *Jo. Morino*, Cap. XIX, sive Protestantibus, ut *Ludovico Capello*, Cap. XIX, & XX. exponit, ac tandem in fine hujus libri a Cap. XXI, ad XXIV, in Polyglottæ Anglicanæ Prolegomena, quæ *Brianus Walto* sedecim sermonibus complexus est, censoriam virgulam exercet.

Ad calcem Operis duplicem Catalogum adposuit, unum præcipuarum Scripturæ tam Hebraicæ, quam in varias linguas translatae, sive a Judæis, sive a Christianis profectarum Editionum, cum innumeris in quamque Editionem & Versionem Criticis animadversionibus: Alterum Autorum Judæorum & aliorum minus obviatorum Scriptorum qui passim in Historia hac Critica citantur.

ANDREÆ ACOLUTHI, *Uratisl.*

מי חמרים המאריים

De Aquis Amaris & maledictionem inferentibus,
Num. V. II. seq. descriptis *Philologema.*

Lipsiæ Typis Justini Brand. 1682. in 4to.

QUAMVIS hæc materia a Clar. Wagenfeilio in Sota jam præoccupata videretur, alia tamen methodo eandem persequi & post messem spicilegium instituere Autori, novum industriæ suæ specimen post *Obadiam Armenum* edituro placuit. Sic autem procedit, ut primum (Cap. 1.) tremendæ hujus sanctionis cum præcedentibus & sequentibus cohærentiam ostendat. Deinde (Cap. 2.) Hebraicarum vocum,

vocum, quibus dissertationis hujus frontem insignivit, constructionem, originem, significationem & emphasin evolvat, tum rem ipsam aggrediatur & (Cap. 3.) totam rationem, qua uxores Zelotypis maritis de adulterio suspectæ per aquas a Sacerdotibus propinatas probandæ fuerint, secundum omnes causas & circumstantias exponat, & tandem in recensendis allegoriis & abusibus (Cap. 4.) occupetur, id ubique agens, ut Sacros Fontes, quorum ductum sequitur, cum Interpretum rivulis studiose conferat, & quantopere in Orientalium Linguarum studio excolendo & abstrusis Judæorum sacris eruendis versatus fuerit ostendat.

A New Digestor or Engine, for softning Bones, Containing the Description of its Make and Use in Cookery, Voyages at Sea, Confectionary, Making of Drinks, Chymistry, and Dying &c.

By *Denys Papin*, M. D. Fellow of the Royal Society.

London. 1681. in 4to.

i. e.

Novus Digestor aut Machina pro emolliendis Ossibus, continens hujus delineationem seu parandi modum cum usu in re coquinaria, navigationibus, arte condiendi, potionibus conficiendis, Chymia, & arte tinctoria,
per *Dionysium Papinum* M. D. & Regiæ Societatis Socium.

Londini 1681. in 4to.

Postquam *Nobilissimus Boyle* in Experimentorum Physico-Mechanicorum Continuatione secunda Artic. 19. *Experim.* 4, 5, & 6, singularem ad ossium usque emollitionem coquendi carnes modum, in vase cochlea obturato & MB. cochlea pariter firmato adornandum, suppeditaverat, sine instrumentorum tamen necessariorum horumque usus declaratione; præsens scriptum Autor publici juris fecit, Novumque Digestorem seu Coquum appellavit, quod per compressio-

nem

nem aquæ & aeris, intra vasi conclusi, elixationes, digestiones seu macerationes, fermentationes, ac destillationes variarum rerum, & inter has ossium duriorum emollitionem, perficere doceat.

TAB. VI.

Instrumenta proin his finibus accommodata in sex figuris exhibet, quarum 1 & 2 illa delineat, quorum usus generalis magis, 3, 4, 5, & 6 vero, quæ destillationibus ac arti tinctoriæ præprimis sunt accommodata. Scilicet, in *Fig. 1*, AA Lebetem designat æneum, in fundo clausum, in summo II apertum: qui instar MB. aquam continet & igni immediate exponitur.

BB Hujus lebetis operculum, ejusdem cum illo figuræ & capacitatis,

CC Lebetis Anfulas,

DD DD. Duo ferramenta, altera sui extremitate anfulas C, C, altera Repagulum EE excipientia,

EE Repagulum, foraminibus ferramentorum D. D. trajectum, quod tolli & adaptari potest, ubi pro rei exigentia aut aperienda aut occludenda fuerit Machina.

FF Duas Cochleas, quæ foraminibus Repaguli EE trajectæ capitellum BA & receptaculum AA firmiter combinant.

HH Tubum seu canalem, operculo BB aptatum & obturaculo P. muniendum: Cujus canalis usus est, partim ut aqua, commissis jam machinæ partibus, infundi, partim ut pressuræ aeris interni gradus, per elevationem variam obturaculi P accuratius dignosci possint.


II Commisuram lebetis AA & BB.

LM Baculum ferreum, eminentiæ L Q infixum, qui cum a pondere N, extremitate ejus appenso deprimitur, reprimendo obturaculum P. compressionem aeris interni moderatur.

OO Angustio rem canalem, obvolutum cannabe & tubo HH ita impactum, ut aliqua extremitate sua aquæ inclusæ immersus aliquid humiditatis hinc ad P derivet, quo hoc ipsum charta obvolutum & leviter humectatum, orificium tubi HH exactius claudat


Figura 2. Vas GG exhibet, descripto lebate angustius, ex vitro, stanno similive materia conflatum, coquenda, digerenda, ac destillanda immediate excipiens, operimento & cochlea sua, occludendum, ac Machinæ AA BB immittendum. Lebetem ergo AA BB furno chymico usque ad anfulas CC imponit auctor noster, ignem firma

TAB. VI. ad
Annum 1682 pag. 106.



E. Andrieu fecit.

STAT
MADRID



Elaborado en

firmatis probe cochleis carbonum ope subdit, & hunc pro operationis conditione moderatur.

Figura 3. Craticulam seu sepimentum BB delineat, fulcris AAA & manubrio CC instructum, quod vasi BB imponitur pro destillandis concretis excipiendis ac continendis.

Figura 4 Vasa AA & GG figuræ circularis tradit, quorum una extremitas materiam destillandam continens, igni; altera, vapores excipiens, pro faciliore horum condensatione, aquæ frigidæ imponitur.

In *Figura 5* pro commodiore destillatione delineatur Vas GG, extremitate sua II lebetem AA superans, quod materia destillanda replendum, ejusque aperturæ II operculum profundius, pro vaporibus excipiendis & condensandis adaptandum, ita tamen ut lebes atque vas internum ferrumine invicem exacte conjungantur, ne aqua in spatio TTTT contenta effluat, machinæ autem canalus HH loco ponderis cochlea firmetur. Machina hæc ferreis duobus fulcris RRRR eo imponitur sine, ut mediantibus ansulis CC in æquilibrio circiter hærens inverti, pro immittenda & eximenda materia destillanda, sine sui apertura facili negotio queat. Ignis machinæ AA mediante ignitabulo huic accommodato admovetur. Quoniam vero Tinctor quidam vas internum GG scopo suo minus necessarium judicaverat,

Fig. 6 externæ machinæ AA orificium H angustius parandum esse Noster arbitratur, admittentis tamen insimul pannis tingendis proportionatum.

Atque hæc de Instrumentorum apparatu, iisque utendi modo. Emolumenta eorundem quod spectat, docet Idem (1) hac ratione paucis carbonibus, v. g. VI aut VII unciarum, brevi temporis spatio, carnes, cuniculos, columbas, pisces, legumina &c. imo vetustiorum animalium, v. g. vacarum, carnes duriores ac ipsa ossa ad mollitiem decentem atque gratam percoqui posse, ita quidem, ut justo quamvis coquantur diutius, haud tamen adeo facile adurantur.

(2) Gelatinas breviori manu & in majore copia, ex solidissimis etiam, v. g. bubulis & ovillis ossibus parari posse; siquidem per hanc encheirismam ossa sui ponderis duplum aut triplum, cornua cervi quintuplum gelatinæ exhibeant, illudque in substantiam caseoquem Parmesan appellant, mollitie & sapore non dissimilem con-

vertant. Sicut autem virtutem singularem nutriendi, & humorum acrimoniam, ex sale conditis & fumo induratis carnibus contractam corrigendi gelatinis cunctis, hac potissimum ratione præparatis, inesse supponit: ita hoc experimenti genus navigantibus præprimis proficuum commendat, & præterea eandem gelatam substantiam vitris, vasis Sinenfibus, & fragmentis eboris, succini &c. conglutinandis vel redintegrandis egregie inservire, expertus testatur.

Nec (3) dulciariis similisque artis hominibus machinam hanc inutilem futuram credit, partim ad fructus commodius & sine notabili corrugatione exsiccandos; partim ad eosdem in succo proprio, cum & sine saccharo condiendos & conservandos, diversisque experimentis probabile negotium reddit.

(4) Fructuum succos eadem ratione in potus & vina suavissima, interveniente fermentatione, posse converti: quæ non adeo facile acetescant ac corrumpantur, nec tormina & flatus gignant, nec caput petant, summe tamen confortent ac nutriant.

(5) Pariter hac encheirisi Extractions Chymicas facilitari valde atque juvari statuit, præsertim ejusmodi parandæ si tincturæ sunt, quarum confectio alias difficilior observatur, v. g. Tinctura salis tartari & succini: quam utramque brevi temporis spatio efficaciorẽ & saturatiorẽ, prioremque lixiviosam magis, ac intra mensem vulgaris digestionis ope evadere potuisset, hac effectam via se degustasse perhibet. Destillationibus vero, quæ mediantibus descriptis vasibus adornantur, hoc tribuit commodi, quod partim faciliores sint, quippe per descensum factæ; partim nihil substantiæ destillandæ perdant. Destillationibus tamen hisce potissimum accommodatam & fig. 5 delineatam machinam, pisturæ quoque, per carbones fossiles administrandæ, inservire conjicit.

(6) Tinctoribus inter alios effectus hanc ex lebetibus descriptis utilitatem promittit, quod diu satis materia tinctilis ac panni tingendi, in calore etiã intensiore, sine sui tamen destructione in iis conserventur, & particularum volatiliũ exhalationes impediuntur; unde effici observat, ut ejusmodi quoque succi, v. g. prunorum, quorum alias viscositas facit, quo minus in corpora tingenda penitus insinuare se possint, ad hoc præstandum quam aptissimi reddantur.

Tandem Experimentorum illorum, quæ in durioribus corporibus

TAB. VII. ad A. 1682.

pag. 109.

Eclipsis luna totalis: cum mora
Anno 1682 die 21 Febr.
observata

GEDANÆ

à


Joh. Hevelis.

Fig. 1.

Fig. 2.

Phases decrescantis ad totalem
obscurationem usq.
21 febr. vesp.

Phases Crescentis à recuperatione
luminis ad finem Eclips.
22 febr. mane



Total. obscur.

Recuper. Lum.



Finis Eclips.

Ayuntamiento de Madrid

Andre. Joh. Sculp. linc.

Handwritten text in a cursive script, likely a signature or official document. The text is mirrored across the page, suggesting bleed-through from the reverse side. Legible fragments include "B VII" and "de..."

ribus, v. g. Succino, Ebore &c. emolliendis observavit, varios successus refert; & inter hos, quod Gummi Copal equidem facilius, nullo vero caloris gradu succinum, sine particularum integralium secessu, nec cornu bovinum per se, nec ebur, ullo liquore affuso, emollire potuerit; idem tamen cornu bovinum, & chelonium cum aqua cocta ad flexibilitatem & mollitiem egregiam perduxerit, quam ipsam non nisi post triduum aut quatrimum deposuerit, quamque adeo variis exinde parandis utensilibus credit inservire. Ne autem impensæ, ad machinam hanc parandam necessariæ, emolumentum inde expectandum videantur superare, supputationem & collationem hujus illarumque sub finem scripti annectit, cum paucis adhuc notis, usum machinæ commodiorem concernentibus.

Eclipsis Luna Totalis cum mora,
Anno 1632, die 21, & 22. Febr. vesp. & mane st. n.

observata

GEDANI

JOH. HEVELIO

TAB.
VII,

Temp. sec. hor. am- bulator.	Ordo Pha- sium	Digiti Ecliptici	Per quas maculas transiverint Umbrae sectiones, & quæ insuper notata & observata fuerint.	Tempus ex Altit. cor- rect.
Hor. / //				Hor. / //
8 41 18			Altitudo Palilicii 39° 53'	8 40 46
8 44 9			Eadem altitudo 39 27	S 44 20
8 48 14			Denuo repetita 39 0	8 47 59
10 8 20			Initium penumbrae dilutissimæ	10 9 0
10 12 50			Penumbra densior	10 13 20
10 19 5			Penumbra adhuc crassior	10 19 36
10 23 50			Penumbra densissima	10 24 24
10 24 30			Initium Eclipseos circa 125° limbi, in 95° sc. a puncto superioris lineæ perpendicularis Nonagesimi, ortum versus contigit.	10 25 5

O 3

Temp-

Temp. sec. hor. am- bulator. Hor. / //	Ordo Pha- sium.	Digiti Ecliptici	Per quas Maculas transiverint Umbrae sectiones, & quae insuper notata & observata fuerint.	Tempus ex Altit. correct. Hor. / //
10 29 45	1	$1\frac{1}{4}$ dig.	Incedebat per Montem Germanicia- num, ad mare Syrticum & Montem Acabe.	10 30 30
10 32 13	2	2 fere	Per Montem Porphyriten, loca paludosa Inf. Cercinnæ, Sinum Syrticum, per M. Sacrum & M. Casium.	10 32 50
10 36 30	3	$2\frac{1}{2}$ fere	Ad M. Baronium, Inf. Æthusam, per medium Sin. Sirbonis, & M. Pha- ran.	10 37 10
10 43 25	4	$3\frac{5}{8}$	Per Sinum Apollinis, M. Ætnam, Inf. Letoam, ad Inf. Didymam.	10 44 10
10 47 25	5	$4\frac{5}{8}$ dig.	Ad Inf. Majorcam, Vulcaniam, Lemnos Carpathos, & M. Horeb.	10 48 15
20 52 20	6	$5\frac{3}{4}$	Ad Lacum nigrum Majorem, per M. Ar- gentarium, Sipylum, Masicytum, Tabor, Sinai, & desertum Raphidim.	10 53 10
10 55 45	7	$6\frac{1}{2}$	Per scopulos hyperboreos, Inf. Besbi- cum, M. Olympum, Didymum, & M. Antilibanum.	10 56 40
11 0 33	8	$7\frac{3}{4}$ dig.	Ad Inf. Cyaneam, M. Horminium, Mon- tes Uxii, & M. Coibacaranos-	11 1 30
11 4 30	9	$8\frac{1}{2}$	Per M. Ambonum, ad I. Apolloniam, & Sin. Atheniensem, Per M. Moschum, Uxii & Coibacaranos.	11 5 30
11 9 59	10	$9\frac{1}{4}$	Per Lacum Hyperboreum superiorem, Pal. Byces, Per M. Herculis, & Sinum extremum Ponti.	11 10 55
11 13 30	11	10 digit.	Per Lac. hyperb. infer. M. Cimmerium & ad S. infer. Maris Caspii.	11 14 27
11 16 30	10	$10\frac{1}{2}$ fere	Per M. Riphæos, P. Mœotidem, Inf. Alo- peciam, ad Inf. majorem Maris Caspii, per Montem Nerosum.	11 17 17

Temp.

Temp. sec. hor. am- bulator. Hor. / //	Ordo Pha- sium	Digiti Ecliptici	Per quas maculas transiverint Umbrae sectiones, quæ insuper notata & observata fuerint.	Tempus ex Altit. cor- rect. Hor. / //
11 19 10	13	11 $\frac{1}{4}$	Ad Ripam Paludis Mœotidis & Mont. Hippoci.	11 20 10
11 22 0	14	11 $\frac{1}{2}$	Per M. Alaunum, & lacum occident. mi- norem.	11 23 0
11 26 30		12 digit	Totalis obscuratio circa 297° limbi, in 94° sc. a puncto super. lineæ perpendic. Nonagesimi, ortum versus deprehensa.	11 27 30
11 35 36			Altitudo Pollucis 52° 13'	11 37 4
11 37 35			Eadem Altitudo 52 0	11 38 42
11 38 50			Rursus repetita 51 41	11 39 35
12 58 20	die 22	Febr. mane	Recuperatio luminis, circa 118° limbi, in 88° sc. a puncto superiori lineæ perpendicularis Nonagesim. occasum versus extitit.	1 0 8
1 0 40	15	$\frac{1}{2}$ digit.	Ad M. Alabastrinum, Pentadactylum Audum & P. Maræotidem.	1 2 31
1 3 35	16	1 $\frac{1}{4}$	Per M. Porphyritem, ad Mare Syrticum & per Montem Eoum.	1 5 32
1 8 10	17	2 fere.	Per M. Baronium, loca Paludosa Inf. Cercin. inter Mare Syrticum & Ægy- ptiacum ad Sinum Sirbonis.	1 10 13
1 11 48	18	2 $\frac{1}{2}$ dig.	Per Sinum Apollinis, Inf. Taraciniæ, I. Æthusam, Sinumque Sirbonis.	1 13 54
1 16 20	19	3 $\frac{1}{2}$	Ad Inf. Majorcam, per M. Ætnam, M. Neptunum, Zacynthum, Inf. Letoam, Inf. Didymam & M. Lyon.	1 18 33
1 20 50	20	4 $\frac{1}{2}$ dig.	Ad Inf. Corsicam, per Inf. Vulcaniam & Carpathos, ad Mare Mortuum, per desertum Sin.	1 23 6

Temp.

Temp sec. hor. amb. Hor. / /	Ordo Pha- sium.	Digiti Ecliptici	Per quas Maculas transiverint Ubræ sectiones, & quæ insuper notata & observata fuerint.	Tempus ex Altit. correct Hor. / //
I 24 39	21	5 $\frac{1}{4}$ dig.	Ad M. Argentarium, Mare Pamphilium Inf. Cyprum, per M. Horminium.	I 27 0
I 26 15	22	6 fere	Per M. Apenninum, ad Lac. Trasime- num, ad M. Sipylum, per M. inf. Libanum.	I 28 40
I 28 37	23	6 $\frac{1}{2}$	Ad M. Carpathos, per Inf. Besbicum, M. Olympum, Didymū & M. Dalangueros.	I 31 0
I 31 12	24	7 $\frac{1}{4}$ dig.	Per M. Peuce, Byzantium, ad M. Hormi- nium, & per M. Antitaurum.	I 33 44
I 35 59	25	8 $\frac{1}{4}$	Per Sin. Circinitem, Inf. Macram, Inf. Apolloniam, Medium Montem Mo- schum, atque Montes Sogdianos.	I 38 37
I 39 33	26	9 dig.	Per lacum hyperb. inferiorem, Pal. Byces, M. Strobilum, per Sin. extremum Ponti ac M. Paropamisum.	I 42 15
I 41 45	27	9 $\frac{3}{8}$ dig.	Inter Palud. Byces, & Lac. Coroconda- metis, per M. Herculis, & Montem Caucasum inferiorem. (rosu- m.	I 44 30
I 44 19	28	10	Per M. Cimmericum, M. Tancon, & M. Ne-	I 47 9
I 47 20	29	10 $\frac{1}{2}$	Per Paludē Mœotidē, Inf. minorē Maris Caspīi, Montemq; Nerosum superiorē.	I 50 14
I 51 44	30	11 paull. plus.	Per M. Alaunum, M. Sanctum, Montes- que Hippoci.	I 54 42
I 56 12		12 digit.	Finis circa 294° limbi, in 97. sc. gradu a puncto superiori lineæ perpendicula- ris Nonagesimi occasū versus contigit.	I 59 17
I 57 10			Densissima Penumbra.	2 0 17
2 1 45			Satis adhuc crassa,	2 4 27
2 2 30			Paulo dilutior.	2 5 45
2 10 20			Penumbra dilutissima.	2 13 42
2 12 30			Finis Penumbrae.	2 15 0
2 15 39			Altitudo Pollucis 29° 12	2 19 7
2 17 35			Eadem Altitudo 28 46	2 22 8

Ani-

Animadvertenda

In Eclipsi, Anno 1682, die 21 & 22 Febr.

G E D A N I

observata.

Cum Tabulæ Rudolphinæ bene notabilem hac die Eclipsin, & quidem totalem cum mora ostenderent, quales exquisitè observare raro alias contingit: proinde summa alacritate ad illam ex mea rursus, DEI benignitate, erecta Specula, attendi; præprimis cum cœlum omnino sudum extiterit, ut quævis exoptatissima, hac in parte, mihi pollicerer. Totam igitur diem 21. Febr. impendi, partim ut horologia ad Sciatericum lineæ Meridianæ applicatum dirigerem, atque sic omnia parata haberem, quæ ad ejus generis observationes requiruntur.

Ingruente Eclipsi Umbra erat valde diluta, limbusque ejus quasi anfractuosus, & minime terminatus, sic ut difficulter admodum ab initio phases determinari potuerint, nec accurate distingui, per quas Maculas umbra transierit: successus tamen temporis, crescente Eclipsi distinctius omnia deprehendebantur. Color ab initio videbatur satis tristis, obscurus & fuliginosus, ac si hæc Eclipsis, eadem ratione, circa maximam obscurationem, ut illa Anno 1642 Mens. April. adeo sese obumbratam sistere vellet, quo vix conspiceretur; sed res plane aliter cecidit, siquidem Luna cum jam omnino esset eclipsata, totus tamen ejus discus satis clare in oculos incurrebat: color namque ejus tum omnino rubidus sive sanguineus, aut rubiginosus erat, qui eoque perseverabat, donec Luna ad medietatem lumen suum recuperasset, atque tum rursus satis obscura & fuliginosa apparuit; adeo ut omnium optime phases omnes, per quas nimirum Maculas umbra transierit, annotatæ fuerint. In summa, hujus Eclipseos observatio ex voto nobis successit; non solum enim Initium & Finem, sed etiam ipsum momentum Totalis obscurationis, & Recuperationis luminis, cum 30 phasibus (quod raro admodum contingit) diligentissime mihi deprehendere cœlum indulsit. Per quas vero Maculas Umbrae sectiones inceserint, tum quid amplius notatu dignum, sub tempore Eclipseos

P

exti-

extiterit, ex ipsa observatione atque delineationibus ad oculum clare patet, non minus ex subsequenti Tabella, quousque Calculus Rudolphinus ab hac observatione, atque sic ab ipso coelo discedat.

	Ex calculo Rudolphino.			Ex observatione.			Differentia.		
	Hor.	/	//	Hor.	/	//	/	//	
Initium Eclipsos	10	13	33	10	25	5	11	32	Tardius
Totalis Obscuratio	11	10	11	11	27	30	17	19	Tardius
Maxima Obscuratio	0	5	43	0	13	49	8	6	Tardius
Recuperatio lumin.	1	1	15	1	0	8	1	7	Citius
Finis Eclipsos	1	57	53	1	59	17	1	24	Tardius
Duratio total. obsc.	1	51	4	1	32	28	18	26	brevior
Tota duratio Eclipsos	3	44	20	3	34	12	10	8	brevior

Eadem ECLIPSIS

observata
LIPSIÆ.

Temp. sec. horolog. ambulat.	Alti- tudines.	Tempus correctum	
Hor. /	G /	H. / //	
8. 35	36. 0	8. 16. 32	Altitudo Reguli. dub.
9. 8 $\frac{1}{2}$	40. 20	8. 49. 48	Altitudo Palilicij.
9. 13	39. 32	8. 55. 40	Eadem altitudo.
9. 49	15. 30	9. 34. 0	Altitudo Arcturi. Penumbrae vestigiū
9. 52		9. 37. 0	Penumbra.
9. 58		9. 43. 0	Penumbra.
10. 6 $\frac{1}{2}$	18. 22	9. 52. 44	Altitudo Arcturi.
10. 10	18. 56	9. 56. 28	Altitudo denuo capta.
10. 15		10. 1. 0	Initiū æstimatum, aut Penumb. dens.

Tem.

Temp. sec. hor. am- bulator. Hor. /	Alti- tudi- nes. G. /	Tempus corre- ctum Hor. /	
10. 15½		10. 1. 30	Initium verum, in parte Africae, prope montem Audum in mari Eoo.
10. 28	21.48	10. 14. 56	Altitudo Arcturi.
10. 44	24.18	10. 31. 0	Eadem altitudo.
10. 54	26. 0	10. 41. 56	Altitudo Arcturi.
10. 57	26. 20	10. 44. 4	Eadem altitudo.
10. 59	26. 30	10. 45. 8	Rursum capta.
11. 3		10. 50. 0	Palus Mæotis obscurari incipiebat.
11. 5		10. 52. 0	Sectio umbræ per medium Palud. Mæot.
11. 11	28.27	10. 57. 36	Altitudo Arcturi. Immersio in umbrâ.
12. 45½		12. 38. 0	Emergio ex umbra.
12. 47	43.55	12. 39. 36	Altitudo Arcturi.
12. 51½		12. 44. 0	Palus Mæotis in medio inter umbram & marginem Lunæ.
12. 57		12. 49. 30	Mons Porphyrites in medio inter umbram & marginem Lunæ.
13. 2		12. 55. 0	Sinus Sirbonis totus ex umbra
13. 5		12. 58. 0	Mons Æthna diametro sui ipsius ab umbra.
13. 10		13. 4. 0	Umbra per medium Montis Sinai.
13. 11		13. 5. 0	Mons Sinai totus ex umbra.
13. 12½		13. 6. 30	Mons Sinai diametro sui ipsius ab umbra.
13. 15	21.54	13. 8. 50	Altitudo lucidæ Lyræ.
13. 17	22.10	13. 11. 2	Eadem altitudo.
13. 31		13. 25. 0	Sectio umbræ per medium Paludis Mæotidis.

P 2

Temp-

Temp. hor.	sec. anabulator.	Alti- tudines.	Tempus correctum.		
Hor. /		G. /	Hor. /	//	
13	35		13	29	o Palus Mœotis tota ex umbra.
13	39 $\frac{3}{4}$		13	34	o Finis Eclipseos, prope Insulam majorem in mari Caspio, ubi Hippoci montes sunt.
13	44	25. 47	13	38	16 Altitudo lucidæ Lyræ.
13	47	26. 13	13	41	28 Eadem altitudo.
13	53 $\frac{1}{2}$	27. 10	13	48	34 Rursus capta.

Fuit ergo

	H.	/	//
Initium Eclipseos	10.	1.	30
Immersio in umbr.	10.	57.	30
Medium Eclipseos.	11.	47.	45.
Emerfio ex Umbra.	12.	38.	0.
Finis Eclipseos	13.	34.	0.
Digiti Eclipseati			

Ex Tab. Riccioli

H.	/	//
9.	29.	53
10.	29.	23.
11.	25.	4.
12.	20.	45.
13.	20.	15.
21.	51.	0.

Cometarum Natura, Motus & Origo,
 Secundum JOH. HEVELII & P. PETITI
 Hypotheses declarata,

a
 JOH. CHRISTOPHORO STURMIO, Math. &
 Phys. Prof.

Altdorfi in 4. 1681.

ARgumentum hoc, quod seculo abhinc integro celeberrimorum Mathematicorum fatigavit ingenia, occasione nuperi Cometæ Anni 1680, ita sibi tractandum sumsit Autor: ut expositis Cometarum sesquiseculo abhinc accurate observatorum phænomenis, binam Hypothesin Cometarum, e planetarum quidem, & præcipue Solis, effluviis in æthere fluidissimo genitorum, motuque rectilineo aut para-

parabolico trajectorum, ad HEVELII; Mundo autem coævorum, & sub certa periodo, circuli aut ellipseos lege, in conspectum redeuntium, PETITI, tanquam præcipuorum harum Patronorum, placita dilucide explicaret; suamque tandem, utra phænomenis magis respondere, & quid in unaquaque desiderari jure posse, sibi videretur, *ἐπι- κρισι* subnecteret.

Itaque post phænomenon generalium contemplationem, ex instituta Cometas inter & Novas stellas, circa inexpectatum exortum, frequentiam, durabilitatem, comparatione: condita durationis illorum, præcipue novissimi (quem matutinum primo, post vespertinum, & hic, & in Epicrisi contra Dn. MONTANARIUM prolixius pro eodem habet) historia; aliisque circa apparitionis tempora, plurium concursum, vicinas Planetarum conjunctiones, adnotatis: specialius I Caputum seu Nucleorum Cometicorum magnitudinem, figuram, alterationes, incrementi & decrementi, colorumque vices, locum in Universo, & species. II Caudarum situm ad Solem ejusque variationem, longitudinem ac latitudinem, inflexionem, vibrationem, in ramos aut radios divisionem, colores &c. III. Motum Com. duplicem, communem & proprium, & hunc sub circulo ut plurimum maximo, notata quorundam, nuperrimi cum primis, ab eo deflexione; ejus porro inæqualitatem, non tamen irregularem; varium per signa, in eodem diversisque, incessum; arcus in cælo descripti quantitatem; veri denique & apparentis motus similes, quandoque & contrarias vicissitudines, compendioso delectu habito, nec citra unius aut alterius censuram, e Cometarum historia recenset.

Juxta HEVELII deinde Hypothesin: Cometarum genesis, e probatis partim, partim suppositis Planetarum Atmosphæris, Maculasque Solares inter & Cometas convenientia, ita describit, ut & phænomena supra memorata, salvet singula: & quod palmarium, motum trajectorium, a principio ad usque metam, non inconcinna ratione, e *Cometographia Cel.* HEVELII deducat.

Circa alteram: PETITUM, occasione Cometæ anni 1664, pensato regulari Cometarum motu, inductum statuisse, refert:

Cometas corporibus cœlestibus coævus, inter opaca & lucida medios, i. e. semilucidos, aut in circulo; sive toto extra sphæram Planetarum posito; sive, quod probabilius, eandem totam, aut maxima

parte, ambiente; aut (quod retrogradatio Cometæ dicti ipsum, mutata priori sententia decernere docuerit) in ellipsi, circa perigeum saltem conspicuos, moveri. Unde, cum necessum sit, eosdem absoluta periodo in conspectum denuo prodire: collato illo superiori, cum Cometa Anni 1618; divisis etiam, juxta intervallum, quod inter utrumque est, annorum 46, anterioribus temporibus; quia complures Cometas in confiniis hujus periodi historia memoret: verosimile esse, unum eundemque diversis istis vicibus comparuisse. Ex quo porro & posteris, de reliquorum periodis, & reditu determinandis, rationem aliquando constituram.

Comam vero & Caudas ex effluviis æthereis generari: quæ obviam Cometis facta, & ob peculiarem illorum fabricam circum ipsos collecta, dum sibi invicem coherere conitantur, partim comam, partim appendicem caudiformem constituent, lumineque mutuatio illustratam, utramque Terris ostendant; Soli autem, velut expurgando ætheri, devoranda objiciantur.

In Epicrisi, commissis cum utraque Hypothesi argumentis, quæ easdem aut fulciunt, aut premunt;

Cometarum perpetuitatem, cum e manifesta Caudarum a Sole dependentia; tum præcipue e mutationibus singularibus, & incrementis realibus ac evidentissimis corporis Cometici; ut & difficultatibus conciliandi motum, sive circulem sive ellipticum, cum phænomenis, rejicit: laudata interim non tantum PETITI, sed & ex *Lubiezio*, institutaque consimili, inter Anni 1577 & 1680 Cometas comparatione, suppleta & magis instructa, revolutionis annorum 46 per complures cometas deprehensæ, observatione.

Generationi ero HEVELIANÆ, tam capitis quam caudæ cometicæ; motui item rectilineo, aut ab hoc non multum diverso, tanquam maximis apparentium motuum anomaliis, ad causas opticas scite reducendis, aptissimo, potiores defert: dilutis illis, quibus PETITUS, e natura Macularum Solarium, generationis modum; & motum, rectæ tangentis hypothesi nixum, dissensu observationum, oppugnaverat. Circa assignandas autem causas, quibus, juxta HEVELII Hypothesin, Cometa ex orbe nativo recta linea ejiciatur; prope Solis porro perpendiculum, nullo accedente novo impetu, motum intendat; ad spheram deinde natalem retrahatur; toto vero cursu suo

suo planiorem disci faciem Soli objiciat; circa nodos etiam, a Tellure five mota five immota, nexos, uti plurima scitu digna discutit: ita omni parte absolutam nobis nondum esse scientiam Cometicam concludit.

FRIDERICI SPANHEMII, F.

Specimen Structurarum ad Libellum nuperum Episcopi Condomiensis, cum Praefationis supplemento, Accedit de praescriptionis Jure adversus Novos Methodistas,

Exercitatio Academica.

Lugduni Batav. in 8. Anno 1681.

COLLECTUM hoc est scriptum ex Disputationibus ibidem habitis, (in praefat. pag. 1. & de praescript. pag. 119.) adeoque ex toto Polemicum, imo Elencticum;

PRIMARIO contra *Expositionem Doctrinae Catholicae Jacobi Benigni Bossueti*, Episcopi olim Condomiensis, post Delphino Galliae ab informatione, hodie Meldensis Episcopi:

SECUNDARIO contra praescriptionem Novorum Methodistarum inter Romano-Catholicos, e quibus Fratres Walenburgios impugnat cum primis; qua in Appendice, de re nec nova nec ignota, ulterius nihil est annotandum. Expositio vero Bossueti primum edita fuit A. 1671, recentissime iterum A. 1679 (apud Spanhemium in Specimin. p. 107.) scripta ad emollienda Catholicorum, quae Reformati improbantur, dogmata, & quidem non, ut Romano-Catholici & Reformati tolerent se mutuo; sed ut hi ad illos reduci se patiantur. Aliud enim (a Conciliatoribus,) illi institutum, non doctrina suorum repurganda, verum pallianda modo, ac sanctitati illius, etiam qualis in Concilio Tridentino definita est, persuadenda Reformatis; Spanh. in praefat. p. 26. In hunc finem decreta Concilii Tridentini passim inflectit; nonnunquam etiam ab ipsis revera discedit: contra Spanhemii praecipuus labor, detegere has artes atque declinare.

Bossuetus Libellum suum (sic Spanhemius ipse in Structur. p. 29.) duabus fere partibus distinxit; quarum prima *Generalis*, propositionem & hypotheses; altera *Specialis*, singulorum Capitulorum declarationem

com-

complexa. Hæc rursus orditur ab iis, quæ ad *Cultum* pertinent; facto hinc transitu ad *doctrinæ* capita, de justificatione & annexis; tum ad controversias *Sacramentarias*, in specie de Eucharistia, Transubstantiatione, Missæ sacrificio, Communione sub unica; tandem ad Fidei principium, *Traditiones* seu Verbum non scriptum, hinc & *Ecclesiæ Autoritatem*. Ad calcem, subiecta parænesi, leges præscribit cui-cunque suum hoc scriptum adorturo. Has binas decernit. Prima est ne quis *doctrinam ea comprehensam confutantam suscipiat*, aut ad *Theologorum* suorum Disputationes expendat, qui *probendam explanandamve Tridentini Concilii doctrinam*, variis inde *argumentando deductis*, susceperunt. Altera, ut in arenam descensurus, probet Romanæ Ecclesiæ *fidem non esse hic sincere expositam*; aut ea ipsa expositione admissa, *relinqui quæstiones integras & validas objectiones* nostratum; aut denique sic explicatam Tridentinorum doctrinam nihilominus *fidei fundamenta convellere*.

Duas etiam partes Refutationis suæ fecit Spanhemius; *Prefationem*, in qua excerpit nonnulla dogmata, quæ refutet; & *Stricturas*, in quibus *nonnulla* persequitur Adversarium, sed in primis Expositionis capitibus tantum, e quibus institutum ejus, methodum ac hypotheses eruit ac refellit; otium nimirum facientibus ipsi nonnullis Reformatis in Gallia, qui Animadversiones ad hoc Scriptum in lingua Gallica, translatas nuper in Belgicam, in lucem publicam jam tum emisserant; *prefat. pag. 1. & 2. & Strictur. pag. 1.* Imo ne Rom. Cathol. quidem hæc Expositio omnino placuit. Hinc Clemens X calculo eam suo probare noluit; nec Innocentius XI id fecit, nisi *tertio Pontificatus sui anno labente*; permotus crebro *Legati Gallicani convitio ac multa persuasione plurimarum ex libello conversionum, miræque propagationis orthodoxæ fidei*; *Spanh. in Strictur. p. 112. 113.*

Notatu digna est ingenua Spanhemii confessio

1.) De Syncrētistis inter Reformatos, *in Strictur.* *Non omnibus promiscue Lutheranis jus Communionis a Reformatis oblatum, non ita certe, qui eandem horrent, quique juxta cum Roma Pontificia hæreses nos postulant & anathematismis feriunt; pag. 81. sed professis consensum mutuum, in necessariis Capitibus; ubiquitatis illo haud relato in fundamentali censum; pag. 81.*

2.) De Lutheranorum cultu, *in quo nihil idololatriæ, in quo nihil super-*

Superstitionis; quod Carentonenſis Synodi aſſertum ille facit ſuum
& prolixè probat ex doctrina & praxi noſtra in S. Cœna; *ibid. pag. 91.*

SELEUCIDARUM IMPERIUM

*ſive Historia Regum Syriae ad fidem Numismatum
accommodata,*

per I. Foy-Vaillant Bellov. D. Med. & Regis
Antiquarium,

Lutetiæ Pariſiorum, 1681. in 4.

QUam integro, eoque profundæ eruditionis libro ante annos aliquot aſſeruit *Ezechiel Spanbemius* præſtantiam ac uſum Numismatum, tantum abeſt ut hoc tempore quisquam vocet in dubium, ut certatim velut ac æmulatione quadam Hiſtoriæ ex Numismatibus illuſtrandæ Viri docti incumbant. Et Romanæ quidem Hiſtoriæ quanta lux ex Nummorum fide ſuperiore noſtroque ſeculo allata fit, eruditiffimorum virorum, *Hub. Goltzii, Caroli D. Arſchotani, Gorlei, Occonis, Erizzi, Urſini, Auguſtini, Strada, Vici, Triſtani, Oudani, Vaillantii, Patini, Oſelii*, pluriumque aliorum commentarii publice extantes, ignorare neminem patiuntur. Aſt non omnem tamen nummariæ rei uſum in Romana tantum hiſtoria ſpectari, ſed latius multo patere, uti in aliis Eruditæ Antiquitatis Hiſtoriæque partibus explicandis non pauci dudum comprobarunt; quorum catalogum in Bibliotheca nummaria *Phil. Labbeus* contexuit; ita nuper Pariſiis Triumviri celeberrimi, *Molinetus, Fresneus, Vaillantius* illuſtribus exemplis confirmarunt. Nam anno 1679 *Summorum Pontificum Hiſtoriam* a Martino V, ante quem nulla Romanorum Pontificum Numismata viſa conſitetur, ad Innocentium uſque XI hodieque ſuperſitem, ex Nummis juffu eorum, aut in illorum honorem cuſis illuſtratam, *Claudius du Molinet* Canonicus Regularis Congregationis Gallicanæ, in lucem dedit. Eodem anno *Carolus du Fresne, Dominus du Cange*, Diſſertationem de *Imperatorum Conſtantinopolitanorum*, ſeu de inferioris ævi vel imperii, ut vocant, *Numismatibus*, Gloſſario ad Scriptores mediæ & infimæ latinitatis ſubjunctam: anno 1680 vero juſtum de *Familiâ Byzantinis* Commentarium edidit, eoque & Hiſtoriam Byzantinam, Principumque qui Conſtantinopolitanum ante Turcas

impe-

Q

Imperium tenuerunt, quin & Dalmaticarum & Turcicarum quarundam Familiarum Genealogias, ex Numismatibus, & vicissim Numismata ex Annalium fide magno utilissimoque studio illustravit. Superiore denique anno 1681 *Seleucidarum seu Syria Regum* Historiam ad eorum item Numismata accommodatam, Antiquarius Regis Christianissimi *I. Foy-Vaillantius* idem qui anno 1674 Romanorum Imperatorum Numismata ediderat, publicæ luci exposuit; Ptolemæorum etiam Ægypti Regum Historiam pari se ratione cum tempore adornaturum pollicitus.

De *Seleucidarum* vero illa *Historia* ut pro instituti ratione memorentur pauca, laudanda utique doctissimi Auctoris industria est, quam in colligendis Regum illorum Numismatibus, maximam partem rarissimis adhibuit, ut eorum ope integram Regum Syriae a *Seleuco*, primo Regni post Alexandri M. obitum conditore, ad *Antiochum usque XIII*, quo pulso in provinciæ formam Syria a Populo Romano Pompeji M. auspiciis redacta est, postquam CCXLIX annis Seleucidæ eam tenuerant, seriem exhibere: tot præterea Reges cognomines, quos Historici ludicris sæpe & ad ignominiam compositis, in nummis vero nusquam conspicuis, appellationibus notarunt, accurate distinguere: Chronologiam denique in Syriaca alioquin Historia intricatissimam evolvere posset ac restituere. Quam in re adjutum se celeberrimorum Virorum, *Guilhelmi Lamonii*, *Achillis Harlei*, *Petri Carcavii*, *Francisci de la Chaize*, liberali opera, in præfatione Auctor honorifica singulorum cum mentione deprædicat. Præmittitur Operi primum *Index Regum Syriae*, quorum fuere viginti septem: post *Tabula Genealogica*, Seleucidarum Stemma exhibens: denique *Canon Chronologicus*, quo præcipuarum rerum gestarum, juxta *annos Olympiadum, ante Christum natum, Seleucidarum, & singulorum Syriae Regum* conspectus sistitur. In Opere ipso illi plerumque viæ institit Auctor, ut Regum gesta ex Scriptoribus antiquissimis recensere, ac dein subjungat eorum Numismata, æri eleganter incisa, ac erudite dilucidata: notatis etiam quibusdam Auctorum recentiorum, *Huberti Goltzii* imprimis, erroribus. Ubi Lectori Christiano voluprati haud dubie erit, quæ in *Machabæorum* libris traduntur, ex profanis Scriptoribus, Nummisque antiquissimis suppleta hic ac explicata legere. Nec enim falleremur, si *Vaillantium*, dum Historiam Seleucidarum

cidatum componeret, doctissimum nobis in Machabæorum libros Commentarium dedisse dixerimus, collatis diligenti studio Aucto- rum celebriorum, Polybii, Appiani, Justini, Diodori Siculi, Livii, Athenæi, Strabonis, Josephi, Nicolai Damasceni aliorumque monumen- tis. Subjiciuntur denique Operi tres Indices, primus Geographicus, no- minum alter ac rerum, tertius in Numismata, singulari industria compositi.

SAMUELIS RACHELI,

*Institutionum Jurisprudentiæ Libri quatuor,
Jus universale & Romanum certa methodo, & utrius-
que Capita ex genuinis principiis exhibentes.*

Kiliæ & Francofurti, 1681, in 4.

Sicuti tum variis in lucem editis *Φιλοσοφίαις* aliisque publici Juris Exercitationibus, tum extra ordinaria ad nupera pacis Neomagen- sis Consilia Legatione, magnum sibi nomen comparavit erudi- tissimus Auctor: ita rem & Philosopho & Jcto omnino dignam fecit hoc Institutionum opusculo in publicum emisso, non plane quidem ad filum Justiniani, sed methodo non nihil diversa contexto. Scopum vero ad quem utroque oculo collineat, ipsa in præfatione ad solidio- ris Jurisprudentiæ Studiosos in fronte libri præmissa, prolixius expo- nit. Cum enim quatuor potissimum causas corrupti hæctenus, nec eo, quo decuit, nitore exsplendescens Juris studii, *Universalis* scilicet *Jurisprudentiæ cum singulari Romano confusionem, Corporis Justiniani à μεθοδία, castioris Latii neglectum, nec non Philosophiæ Practicæ & Analyticæ contemptum* enumerasset, notatisque variis inde natis incom- modis ac erroribus, hunc præ cæteris, quod in Practicis nulla detur Demonstratio, nec vera Juris Scientia, sed omnia sint in incerto, & Jcti atque Judices ex dubia & cum formidine oppositi luctante semper conscientia lites decidere possint, confutasset, prescius paulo, quid in Institutionibus hisce præstiterit exequitur, se id data opera egisse scri- bens, ut non modo Jurisprudentiam Romanam Universali passim su- perstrueret, eumque ordinem, quem nemo *πεπαιδευμύ* & reprehende- re jure possit, eligeret, sed tyronibus quoque quandam Juris no- menclaturam daret, arctamque Practicæ Peripateticorum Philosophiæ,

Q 2

(cui

(cui præ Cartesianæ & Hobbefianæ Morali primas defert) & Jurisprudentiæ inter fe neceffitudinem, ac infignem, fi hæ conjungantur, utilitatem oftenderet, nec non Demonstrationum Practicarum viam atque materiam ob oculos poneret. Hunc in finem fe omnium rerum Definitiones, quales quidem natura earum permetteret, Cujacium in nonnullis fecutum, concinnaffe; his varias a quatuor Caufarum generibus petitas divisiones, aliasque univerfaliores & evidentes apprime Juris regulas attexuiffe; interdum vero axiomatum & hypothefium loco admifcuiiffe quædam, quæ methodo magis, quam demonstrationi infervirent: fingulis demum aphorifmis uberiores ἐξήγησιν ſubjeciſſe, ſicque per omnia has institutiones adornaffe, ut tam futuris aliquando Antecelloribus, quam Togatis & forum ſectantibus uſui eſſe poſſent. Hujus itaque inſtituti memor a generalioribus ad ſpecialiora ſemper progreditur, nec ſolum theſes ſuas ex Ariſtotelis & Grotii doctrinis moralibus, ad illuſtrandam Juris Romani, quam mox ſubjungit, hypothefin, & faciliorem ejus intellectum, confirmat; ſed etiam cognatas paſſim materias, quæ alias partim in Pandectis & Codice, partim Jure Publico & Feudali tractari ſolent, convenientibus locis interſerit, potiffimum vero in tradendo Obligationum jure ita verſatur, ut cum multis in hoc doctrinæ genere occupatis de palma contendere videri poſſit. Quibus omnibus cum Saxonici quoque Juris placita tantum non ubivis accedant, merentur omnino hæ institutiones Rachelianæ cupidæ legum Juventuti præ compluſculis aliis libellis Hægogicis commendari.

CHRISTIANI MENZELII, Pb. & Med. D.

Elect. Brand. Archiatri

Index Nominum Plantarum multilinguis, Univerſalis.
Berolini, 1682. fol.

Cum nullibi magis, ac Vegetabili in Regno, opes ſuas tanta ubertate ac varietate depromere ſoleat Natura Parens rerum, haud levis momenti negotium incumbit Botanicis, ut aptis nominibus partim tot Vegetabilium ſpecies, & uniuſcujuſque multiplices differentias deſignent, partim certas in claſſes luxuriolaſum eorum multitudinem concinno ordine redigant. Poſterius hoc, Botanicis magis proprium lauda-

laudabili conatu præ cæteris aggressi sunt *Baubini, Casparus & Johanes*, Fratres, Medici Basileenses, haud raro tamen sibi contrariantes, & qui omnibus hic palmam reddit dubiam, *Rob. Morisonius* Prof. Botanicus Oxoniensis. Prius vero istud, nominum scil. impositio, commune quasi omnibus concessum videtur Privilegium; unde non solum in quavis lingua specialis plantas denominandi ratio notatur, sive ab Eruditis sive Plebejis profecta, sed etiam plura & distincta, haud raro penitus diversa nomina, eidem simplici Plantæ in una eademque lingua imposita fuerunt; id quod in Latina præcipue obtinet. Turbat ista nominum multiplex varietas non leviter Rei Herbariæ studiosos, & in lectione Scriptorum, tam Latini, quam cujusvis alterius idioma-tis insigniter subinde eosdem remoratur, specialibus istis & propriis, iisque variis plantarum Nominibus non æque semper cognitis, nec ubivis obviis. Incommodis his medicinam afferre nititur Autor præsentis scripto, indicem Herbarum multilinguem, a filio ejus exercitii Botanici causa ex optimis Autoribus compilatum, sed ab ipso Parente adornatum ulterius & perfectum, comprehendente. Prostant in eodem nomina Plantarum, tot seculis in hunc usque diem ab omnibus tanquam usitatissima recepta, instar fasciculi in unum collecta, & juxta Alphabeti Latinorum seriem ordinata; Eaque non solum, quæ in Latina, Græca, & Germanica Lingua usitatiora sunt, sed etiam, quæ aliarum gentium, Europæarum imprimis, hinc & Asiaticarum, Africanarum & Americanarum linguis iisdem imposita observantur. Ut ita non solum cujusvis plantæ in quavis Lingua appellatio uno quasi intuitu pateat, sed etiam Lectori cuilibet in sua lingua evolvendi libros herbarios detur ansa, si quid circa quamlibet herbam ulterius scire desideret: adeo ut index hic minoris Lexici Botanici, nunquam non amplificandi, cum indies in re Botanica suboriantur nova & addenda, tam verba sive nomina, quam subjecta sive res ipsæ, loco inservire queat. Collecta fuerunt nomina ex quibusvis Scriptoribus, tam superiorum quam hujus sæculi, quotquot ad præsens institutum aliquid conferre potuerunt, Botanographis pariter ac Medicis, quam lexicographis, quorum etiam genuina loca ubique citata prostant, ut ex amplo eorundem Catalogo, in & post præfationem conspiciendo, patet. Nec in sola Nomenclatura hæsit autor, sed & species & differentias plantarum suis quasi generibus subjunxit, & specialiores florum differentias, juxta ordinem colorum

rum in Iride cœlesti observabilium, disposuit, simulque virtutes herbarum, parcius licet, ex *Dioscoride* adjecit. Additur his in fine Pugillus plantarum rariorum cum figuris æneis, ab Autore in variis Europæ regionibus observatarum, nec ab aliis descriptarum, quarum, ut & intertextarum plantarum nonnullarum Brasiliæ, nondum editarum, ac quarundam Breynii rariorum in *Fasciculi Rarior. Plantar. Prodromo* contentarum, indiculus, in calce operis accessit. Ubi Autor simul spem facit, edendi a se aliquando *Theatri rerum Naturalium Brasilia, in IV. Volum. digesti*, continentis imagines quadrupedum, avium, piscium, & plantarum Brasiliensium, jussu Principis Mauritii Nassoviensis in ipsa Regione Brasilia quondam depictas, indeque in Europam transportatas, sed quæ privatim in Bibliotheca Elect. Brandenburgica hæctenus asservatæ, publicæ luci nondum expositæ fuerunt.

*OBSERVATIO CIRCA PROPORTIONEM
partis purpureæ ac substantiæ seroso-gelatinosæ
Sanguinis, intravasa animalium fluctuæ ætis.*

Massa Sanguinea tria involvit, serum aqueum, substantiam gelatinosam seu fibrosam, ac Tincturam rubicundam i. e. sanguinem κατ' ἐξοχήν sic dictum. Quoniam vero in sanguine per Venæ sectionem educto & coagulato, gelatinosa dicta portio partim tincturæ purpureæ intertexta est, & spissitudinem huic confert, partim a sero aqueo dissolvitur atque diluitur, duplex tantum, serosa sc. ac purpurea, substantia hæctenus observata & credita fuit, donec sub medium præfæti sæculi accuratius fluidi hujus animalis examen gelatinam illam nutritiam detegeret quidem, qualis tamen sit has inter sanguinis partes integrantes proportio, ulteriori investigationi destinaret. De sanguificationis proin organo ac modo aliquando sollicitus ambigebam, aut potius augurabar, tantillum forsân Purpuræ sanguinæ esse, quod tantas de sui causa efficiente atque productionis ratione turbas & contentiones inter Anatomicos magnæ famæ excitasset, tantamque viscerum αιματοποιητικῶν, sc. epatis, lienis, cordis &c. compagem ac ambitum postulasset. Porro per microscopium in sanguine observabilium globulorum rubicundorum, sero limpido innatantium, molem
ubi

ubi cum feri mole comparabam, illam huic maxime disparem & longe minorem dignoscebam: quia tamen multum adhuc gelatinosæ substantiæ eosdem globulos purpureos implicare probabile, imo certissimum erat, solo oculo, quantum Tincturæ rutilæ liquori Sanguinis vitali adhuc subsesset, discernere ac determinare me posse haud præsumebam. Ast aliis encheirifibus in subsidium vocatis, in diversis animalibus, diversisque pariter individuis humanis, deprehendi, quod tincturæ hujus partem unam modo decem, modo undecim, modo plures, nunquam pauciores, feri atque gelatinæ partes comitentur: ultimum autem, quod in sanguine hominis optime valentis hujus theoriæ causa adornabam, experimentum erat sequens. Uni nempe aquæ calidæ libræ tantum sanguinis ex aperta vena proficientis influere permittebam, donec aquam pondere unciarum trium & drachmæ unius auctam, hinc tantundem sanguinis ab illa absorptum & dilutum fuisse, observabam. Solutio hæc filtrata, in filtro gelatinæ spissioris unciam dimidiam cum drachma una relinquebat, dum ejus reliquum leni destillatione substantiæ aqueæ libræ unam cum uncia una & drachmis sex fundebat, remanentibus in fundo retortæ grumi ex rubro fusci drachmis duabus cum semisse, ita ut substantiæ aqueæ drachmæ tres cum dimidia, vel a charta filtri haustæ fuisse, vel inter destillandum in auras exhalasse viderentur. Quia tamen diversus hujus cruoris color, quem microscopio adjutus conspiciebam, aliquid gelatinæ adhuc complecti cruorem evincebat, massulam istam, quo gelatinam omnem eluerem, denuo cum aqua tepida macerabam, postmodum filtrabam: & post lenem exsiccationem grumi ejusdem seu tincturæ sanguinæ drachmæ non nisi duæ cum granis tribus, i. e. vix duodecima massæ sanguinæ pars, restitabant, adeoque exile admodum esse, quod sanguini speciem atque nomen dat, declarabant.

BENEDICTI PAULINI PETROCORII

de Vita B. Martini Carminum Libri sex, cum Francisco Jureti Notis, Casp. Bartbii Animadversionibus, & Jo. Fred. Gronovii Observationibus, editi a CHR. DAUMIO, qui

& ipse Notas adjecit.

Lipsiæ apud Hæred. Frid. Lanckilii 1681. in 8.

Trium

Trium Paulinorum ad nos venisse poemata, quibus aliquis etiam quartus adnumerari possit, Libro XIX Adversar. cap. 8. Caspar Barthius monuit. Ex istis peculiari Commentario cum illustrandum hic sibi sumserat, qui de *B. Martini Turonensium Episcopi Vita*, quam Sulpitius Severus, Venantius Fortunatus, & Gregorius Turonensis etiam exposuerunt, sex Carminum Heroicorum libros, & bina poemata alia reliquit. Non *Aquitanus* ille Nolæ Episcopus; (quod persuasum vulgo erat, visum etiam Jureto, qui tamen sententiam postea mutavit) verum *Benedictus Petrocorius*, sive ut alii, *Petricordius*; quod Sirmondus, Labbeus & Barthius notarunt. Promiserat autem postremus hic Paulinorum omnium editionem in Adversariis, sed quam non dedit; Petrocorii saltem Martinianæ Vitæ libros Commentario illustravit, quem ab Autore olim impetratum, ipsius etiam manu una cum Textu & Jureti Notis conscriptum, post ipsius obitum nactus V. CL. Christianus Daumius nunc demum edidit. Quo studio de bonis literis optime meritus est: nam præter *textum Paulini*, seorsim excusum extra Bibliothecæ Patrum vasta Volumina vix reperiendum, doctissimi Jureconsulti *Franc. Jureti* Notas, *Barthii* item antea nondum in publicum missas Animadversiones, & *Gronovii* emendationes, ex ipsius Observatis in Scriptoribus Ecclesiasticis depromptas, in libelli non magni modum coegit, subjectis doctorum istorum Virorum commentationibus, accuratis *Indicibus* & *Notarum Spicilegio*: in quo ubi Eucharisticon Paulini Pellæi, Aufonii Nepotis illustrat, nævos prosæicos, quibus tum librariorum vitio, tum auctoris culpa istud scatur, distincte & erudite persequitur; simulque aliorum Christianorum poetarum in syllabis & numeris negligentiam, licentiamque ostendit. Opusculo omnium poetarum Christianorum & eorum editionum præfixit *Syllabum*, cui præmittitur *Præfatio*, in qua *Glossarium* & *secundas curas* suas ad Paulinum hunc Petrocorium nos expectare jubet.

